ORATIO
IN FVNERE
M. ANTONII MVRETI

Ad Illustrissimos Cardinales Nicolaum de Pelue Senonensem, & Carolum à Lotharingia de Vaudemon.

Habita Romæ in templo S. Trinitatis in colle hortulorum.

A Francisco Bencio Sacerdote Societatis Iesu xiv. Kal. Quintil. M.D.LXXXV.

PERMISSV SVPERIORVM.



Patauii, Apud Paulum Meietum. 1585.



RISTE sane atque acerbum, sed solumne tamen ac iustum, Cardinales Illustrissimi, insigni pro uestra pietate, atque egregia erga eum uoluntate, qui uos uiuens perpetuo obseruauit, officium soluitis M. ANTONIO MVRETO mortuo: cuius uel ipso commemorato nomine, singularis quædam species omnis eruditionis, atq; eloquentiæ animis audientium occurrit. Nihil uidelicet prætermittis, quod pertineat ad uiri illius clarissimi mortem celebrandam, qui cum uiueret, summorũ uirorum funera laudationibus persæpe amplissimis honestauit. Quo in officio, & si sapienter illud etiam cogitastis ut quemadmodum homines plerunque, quibus viui florebant maxime, iis mortui honoribus afficiuntur; sic etiam princeps ille oratorum non careret cultu aliquo orationis, & qui dicendo tam multa tractauit argumenta, fieret ipse dicenti argumentum: Ego tamen, qui & uestra auctoritate, & superiorum meorum permissu, & mea etiam non nulla, ingenue ut fatear, inclinatione uoluntatis, atque ut ipse interpretor, erga magistrum meum pietate, hoc dicendi onus non postulaui quidem, sed oblatum non recusaui, uereor ne & præter expectationem uestram, & contra uoluntatem meam, mea apud uos infantia, mortui desiderium non minuam, sed augeam: neque illud tantum dicendo confirmem, quod uos uel nemine dicente intelligitis, ad MVRETVM laudandũ, eo ipso qui laudatur, laudatore opus fuisse, sed admoneam etiam eloquentiam ipsam decessisse cum homine eloquentissimo. Sed quoniam aequissimum est, ut qui plurimum debet, etiam si reddere nõ possit quantum debet, uelit reddere quantulum potest, illud in hoc præstando, futurum mihi persuadeo, ut si minus eloquens ac prudens, at certe beneuolus habear & pius; cum ostendam illud unum, quod sciunt permulti, huius uocis, qualiscumque tandem est, fructum, ei potissimum deberi, qni illam aliquandiu hortatu præceptisque conformauit. Incitant præterea currentem diuersis stimulis, & amor, & dolor, qui mihi non tantum a uobis ueniam impetrabunt, sed per se etiam afferent, ut spero, opem. Nam si amor, ut est in ueteri prouerbio, musicam docet, docebit fortasse & lamentationem; & si doloris magnitudini uis quædam dicendi proportione respondet, patefaciet ille se quidem in oratione maximum, ut debet: ac simul aperiet non elegantis quendam dictionis ornatum, quem aspernatur ac respuit, sed gratum dicentis animum, atque eximiam uoluntatem. Amor porro erga MVRETVM meus, is est, quem per ipsos duos & uiginti

annos spectata amplissimi uiri uirtus, & erga me beneuolentia excitauit: dolor uero ex eius desiderio tantus, ut cum emineat e uultu atque extet, nihil opus sit, cur id faciam, quod olim histrio Polus, qui ad uerum dolorem imitandum, in scenam filii ossa & urnam dicitur intulisse: cum praecipue sanctissimum hoc templum, in quo condi testamento uoluit, ipsum mihi uideatur ante oculos, ac prope in conspectu constituere. Dicam igitur, quando ita res tulit, paucas quasdam e plurimis M. ANTONII MVRETI laudibus: neque enim possunt tam breui tempore numerari omnes: atque ad eius formam, & praescripta me fingens, ea utar ratione dicendi, quam ille si praesens esset corpore, quem animo intueor, probaturus uideretur. Vos autem, Auditores, quibus pleraque nota sunt omnia: totos enim annos quinq; & uiginti, uir omni honore ac laude dignissimus, in hac urbe uixit, id est in hac luce ingeniorum, in hoc clarissimo orbis terrarum theatro, & quidem cum esset primarum partium: nolite quaeso ex iis rebus potius, quae a me dicuntur, quam ex iis quae sciuntur a uobis, eius laudes ponderare, qui fuit ingenio, doctrina, eloquentia, ratione uitae mirabili ad laudem, ac prope singulari. Sed hoc agite. Quaecumque a me non ponentur in oratione mea; ea uos taciti mentibus uestris subiicite: & quarum rerum quasi capita breuiter attingam, ac si in formula & carmine praeirem uoce, eas excipientes, reliquas assensu & cogitatione prosequimini. Vnde igitur in te ornando & laudando, quo minus tam multis praesentibus reprehendar ipse, MVRETE incipiam? An a patria, & genere, & parentibus: haec certe talia sunt, ut cum ipsa magnam tibi attulerint laudem, tum uero etiam a te acceperint non minorem. Natus est enim Auditores M. ANTONIVS anno post CHRISTVM natum CIↃ IↃ XXVI. mense Aprili, in Gallia, in pago suburbano Lemouici, cui Mureto nomen, loco honestissimo, patre iurisconsulto, genere peranti quo & nobili: quippe quod & pagum illum antiquitus possederit, unde etiam familiae nomen; & quadringentis ab hinc annis tulerit STEPHANVM Grandimontensium ordinis auctorem, uirum sanctissimum, atque hominẽ in corporis afflictatione singularem: cuius dies festus in idus Februarias incurrit. Sed non nititur maiorum meritis MVRETVS: talis enim fuit ac tantus, ut etiam si praeclari generis ornamenta defuissent, summum ipse generi ornamentum esse posset; & suarum splendore uirtutum, afferret lucem maioribus etiam obscurissimis. At si hoc omittimus, dicemus ne, quod est proximum, de bonis corprris, & quadam oris dignitate? At turpe dicebat quidam e Romanis imperatoribus, cum animum habeat homo, laudem captare

ex corpore. Itaque hæc etiam prætermittantur: non quidem, quod non præstanti specie, ac decora forma fuerit ipse, talis nempe, qualem eum plerique uidistis: ut uideretur pulcherrima eius anima aptissimum sibi diuersorium in quo habitaret uel optasse, uel finxisse: sed quod multo maior atque excellentior animi pulchritudo rapiat atque absorbeat orationem meam, quæ etiam ut hec minora relinquam, hortatur. At in præstantissimis eius animi uirtutibus, quas potissimum delibabo, ut magis prædicandas? quas etiam, in hisce angustiis temporis, minore iactura præteribo? Nimirum hoc illud est quod ante audieram, aeque magnum esse ac difficile, eum laudare, in quo maximæ sunt laudes, atque eum, in quo nullae: quod in altero res ipsæ desint orationi, in altero, rebus ipsa desit oratio. Perstringamne paucis ipsius initiū discendi, atque educationem puerilem? Sed uereor, ne si dicā id quod res est, uidear multa quidem ueritati tribuere, sed plura beneuolentiae. quod tamen nemo existimare debet. Ego ne hoc suscepto uitae instituto, & in hoc templo, in tam nobili consessu, in tam ampla materia, atque uberi, ea sciens dicam, quæ sciam posse uel tacentium iudicio refelli? Velim ne tam multos uiros primarios esse cupiditati meæ ac mendacio conscios? quam multi e uobis uerum esse illud sciunt, quod uix uerisimile aliis fortasse uideatur, ab ipsa pueritia MVRETVM nostrum tam admirabili fuisse ingenii magnitudine, uix ut ullam desiderauerit disciplinam? ut paene prius discipulos habere coeperit, quam magistros? Nam ut primum imbutus est litteris, quibus informari ad humanitatem ætas puerilis solet, in patria sua, Lemonici primum, deinde uerò Aginni, quæ est urbs in Aquitania paene princeps, ea docere incepit cum esset adolescentulus, aut potius puer, quæ nunc quidem, communi more atque usitato, ea aetate si quis disceret, in summa laude poneremus. Quippe ut ingenio doctrinam, sic etiam usu præcurrebat ætatem. Aginni uero eodem tempore usus est suorum duce & adiutore studiorum, IVLIO CAESARE SCALIGERO, uiro in omni eruditionis atque humanitatis genere perfecto ac perpolito. Hunc ille ut parentem colebat, a quo etiam ut filius diligebatur: admirabatur enim uir omnino admirabilis excellentissimum ingenium adolescentis, eique uolens ac libens rectam ac breuem, que ad rerum scientiam ferret, uiam monstrabat: quo sua eum natura ducebat. In qua tamen bonitate naturae, atque ingenii abundantia (rem admirabilem) tanta utebatur contentione animi atque industria, quanta utendum est homini, qui quo minus ingenio potest, subsidio sibi comparat diligentiam: ut & ingeniosos diligentia uinceret, & ingenio diligentes: & totum illud sibi tempus perire cre

deret, in quo nõ aut doceret aliquid, aut diſceret. Cũ igitur aliquãdiu Aginni fuiſſet, eiuſque doctrina atq; ingeniũ oĩum fama, & oratione celebraretur; ad illud domiciliũ doctrinarũ, & ut ita dicã, orbis terræ Muſæũ Lutetiã profectus ẽ: ubi cũ itidẽ explicaret diuitias illas ingenii, nec latere poſſet in tanto urbis ſplendore, tam illuſtre lumen eloquentiæ, non magno negotio omnium ad ſe ſtudia atq; ora conuertit. Nouus uidebatur exortus Demoſthenes Chriſtianis Athenis: ita docente MVRETO, & quidem adhuc peradoleſcente, concurſus audiendi cauſa ex tota urbe fiebant, magna hominum frequentia gymnaſium celebrabatur, loci ipſi in gymnaſio occupabantur, aditus complebantur, ne pes quidem relinquebatur præ maxima auditorum multitudine, ubi pedem doctor ipſe ponere poſſet: ita, per illorum humeros, quaſi per undas gradiebatur ad ſuggeſtum: e quo & ſi magno ab omnibus audiebatur ſtudio ac ſilentio, nihil magis timentibus, quam ne cito faceret dicendi finem, ubi tamen fecerat finem, mirifico omnium clamore & plauſu excipiebatur. Quid plura? nihil ferme aliud erat Lutetiæ magis eo tempore in hominum ſermonibus, quam MVRETVS: quem ipſe etiam rex aliquando & regina. At bone DEVS, qui rex, & quæ regina? ut quod fama & auditione acceperant, re ipſa experirentur, audire uoluerunt. Oneraſſet profecto alium tam mirabilis omnium expectatio, & ſermo: at M. ANTONIVS, quaſi iam non cum aliis, ſed ſecum ipſe certaret, quotidie ſeſe admirabilior fiebat, & melior. Vt quanta ad diligentiam & doctrinam, tanta ad famam eius & gloriam, fieret acceſſio. Multa mihi neceſſario Auditores, prætermittenda ſunt, ut ſeruem certum aliquem & laudandi & dicendi modum: quamquam difficile eſt admodum ſeruare modum dicendo in iis laudibus, quæ modum re ipſa ſuperauerunt: cum & qui eas cognitas habent, alia potius quam ea quæ dicuntur, dici potuiſſe; & qui incognitas, ne ea quidem debuiſſe, quæ maiora ſint hominum opinione ac fide, arbitrentur: ut & ex horum ſententia affixa nonnulla, & ex illorum, detracta non pauca uideantur. Veſtram hic ego Pictauienſes, Burdigalenſes, Auſcitani, Toloſani: nam Toloſae ille iuris ciuilis docendi primum quidem facultatem, deinde uero etiam poteſtatem accepit: ſed tamen ueſtram ego, omnes quos dixi, uniuerſae Galliae populi nobiliſſimi, imploro & auctoritatem, & fidem: nõne cum iuuenem excellentem, omniq. laude cumulatum uidebatis, cum eius uoce ac doctrina fruebamini, Mercurii uobis filium, ut nonnulli e ueſtris, ex ipſius litteris nominis apte traiiciendis, ſciteque connectendis quaſi omen coniicientes ingenii, dixerunt, aut ipſum potius Mercurium, ut dicebant alii, uidere, & audire uidebamini? Et

fuerunt

fuerunt fortasse qui adolescentis gloriæ, quæ ita se extollebat, ut aliquorum luminibus officeret, uel detraherent occulte, uel inuiderent aperte. Semper enim nascentis, gloriæ comes fuit inuidia, ut solis umbra. Quæ tamen gloria, progressione usa admirabili, & cursu paene incredibili, ut sol cum est in altissimo cæli uertice, umbram; sic ipsa cum peruenisset ad summum, inuidiam plane omnem extinxit: ut quoniam cum sole uirum clarissimum comparaui, consequens illud fuerit, ut posteaquam omnem prope Galliam illuminarat, suam illam lucem diffunderet in Italiam. Itaq; Venetias, id est, ad illam urbem, quæ ueterem huius urbis splendorem ac speciem æmulatur; cum annum ageret duodetricesimum, uenit: neque uero hic latuit diutius: statim enim præclara eius eloquentia, ut Phidiæ statua, & perspecta, & probata est: quæ etiam habita est in aliorum comparatione præclarior. Venetiis uero apud Lauredanos, Bembos, Contarenos, Sorianos, Manutios, ac ceteros clarissimos uiros, tanto in honore ac pretio fuit, ut dulcis quædam inter eos contentio nasceretur, qui maxime amarent MVRETVM, aut admirarentur: incerti omnes, utrum ne ipsi admirarentur magis, an amarent: admiratio enim e uirtutibus nascebatur, ex admiratione amor: ut e Thaumante Irim, ex Iri amorem nasci poetae uoluerunt. Paulo post concessit Patauium, in optimã illã & uetustissimã in Italia officinã ingenuarũ disciplinarũ & artiũ. Neq; hic etiã diu uersatus est: Anno. n. ætatis circiter quarto & trigesimo honestissimis conditionibus inuitatus, ad sũmũ illũ doctorũ Mæcenatẽ HIPPOLYTVM Cardinalẽ Estensem se contulit: in cuius comitatu, & cohorte cum rediisset in Galliam, mox etiam in Italiam, Romæ tandem, anno CIↃ IↃ LXIII. ipsius Cardinalis suasu, atque eorum rogatu, quorum consiliis litterarum studia regebantur, Aristotelis Ethicen docere publice incepit: tanta, ut memini, hominum uoluptate ac frequentia, ut Aristoteles quidem ipse Romæ docere, sed nostra lingua, & lux quædam huic urbi reddita uideretur ueteris eloquentiæ. Non licet Auditores, sed ne decet quidem, cum Romæ loquamur, de iis rebus agere, quæ Romæ per hosce annos unum & uiginti; tot enim annos Romæ docuit uir præstanti sapientia; agebantur a MVRETO. Quid docuerit, breuiter ego cursimque perstringam: quo enim modo docuerit, uobiscum ipsi recordamini. Docuit uidelicet annos quattuor libros Aristotelis de moribus totidem ius ciuile, nec uulgari sane uia, spinosas illas iurisconsultorum concertationes cum sermonis nitore coniungens: reliquos postremo annos, usque ad annum ætatis vndesexagesimum, qui fuit annus superior, GREGORII XIII. cuius mortui gloria uiuet semper in memoria uiuorum,

aucto-

auctoritate ac liberalitate permotus, in eorum librorum, qui non solum acuere, sed alere etiam ingenium solent, ut Platonis, Senecæ, Horatij, Taciti, Ciceronis, explicatione collocauit. Quo interim tempore, cum a STEPHANO BATHOREO Serenissimo Polonorum Rege, qui & consiliis, & factis, Romanorum ueterem imperatorum æquare uidetur gloriam, in Poloniam accerseretur amplissimis præmiis; morem gessisset optimi principis uoluntati; nisi cum eo, quem Romani gymnasii lumen & columen appellabat, egisset idem GREGORIVS, ne discederet: atque id quidem tum sua sponte, tum Romanorum monitu magistratuum, qui MVRETO ipsi aliquot ante annis ultro detulerant ius Romanæ ciuitatis. Qua etiam ratione effectum est, ut tantum stipendium decerneretur homini amplissimo, quantum haud scio, an umquam antea nemini. Parcite Cardinales Illustrissimi properanti: parcite etiam dicenti: tam enim uariam & multiplicem laudationem suppeditat nobis MVRETI laudum seges & copia, ut & oporteat properare, & non nulla tamen attingere sit necesse. Diximus non nihil de iis quæ docuit: de iis quæ scripsit, in quibus eius spirat imago atque ingenium: adhuc quidem nihil, de quibus etiam nihil est, quod multa dicamus, cum in promptu sint omnia omnibus. Quibus enim uariis eius lectionibus, ut inde potissimum incipiam, uberius? quid pictius? quid omni lepore conditius? Quid magnificentius aut grandius orationibus? Quid magis pium, aut eruditum uersibus? iis dico uersibus, quos Romæ cum esset, composuit: illa namque poematia, quæ cum esset annorum circiter uiginti, iuuentutis quodam calore, atque impetu profudit in Gallia, & conuenienti quodam nomine appellauit IVVENILIA. IVVENILIA inquam, dicam clarius, ut melius exaudiar ab omnibus: sæpe mihi in sermone dicebat, sibi adeo non placere, ut ea tamquam sua, non modo probaret, sed ne agnosceret quidem. Et cupiebat huiusce suæ uoluntatis, si uita suppeteret, extare testimonium. Quod ego nunc ipse opportuno sane loco & tempore, aperte testificor, planeque denuntio. Quid igitur senilibus MVRETI uersibus, magis pium, eruditum, addo ēt iucundum? Quid subtilius atque elegātius iis disputationibus, quas scripsit de iure ciuili? Quid dulcius epistolis? Quid uerius iis notis & scholiis, quæ scripsit ad auctores utriusque lingue probatissimos? Hæc certe oīa ea sūt, ut iā non septē Thebarū portæ, non pyramides Aegyptiorū, non Romanorū trophaea ac monumenta, quorum hodie uix cadauera proiecta iacent, ad tam diuturnam posteritatis memoriam pertinuerint, ad quātā ipsa pertinebunt. Quæ quidem omnia, ut flumina, quæ eo magis augentur, quo longius a fontibus & capitibus suis recesserunt, temporis.

peris beneficio fient,non ſuis modo uirtutibus, ſed alienis etiam uitiis (liceat enim hoc mihi dicere, quandoquidem iam feruent oẽs, ac feruntur ſcribendi ſtudio) præſtantiora. In quibus tamen ſcribendis, utrum admirer magis, maximam ſcribentis elegantiam,an incredibilem eiuſdem ſiue facultatem, ſiue copiam? Mihi credite Auditores: loquor enim id, quod non opinor,ſed ſcio: non accepi auribus,ſed oculis: neque ſemel atque iterum, ſed quoties ſe offerebat occaſio:ut omnis non tantum aſſentationis,ſed amplificationis etiam ſuſpicio abeſſe debeat. Nihil umquam bis ſcribebat MVRETVS cum tam multa ſcribebat: uix adeo bis legebat id ipſum quod ſcripſerat:raro interpolabat: non ſæpe mutabat aliquid,aut emendabat: rarius demebat, delebat: ita,cum uno quaſi tenore fluerent omnia, nihil niſi aptum & accommodatum ad manum,mentemq. ueniebat: ut multo meliora fortuito illi exciderent, quam alii, qui aſſiduo opere eamdem tundunt incudem,extundant atque excudant labore. Accipe quoduis unum de præclaris ipſius uoluminibus, non dico ex iis quae adhibito acriore ſtudio ſcripſit ac diligentia,ſed ex iis quae effudit ludibundus: una cuiuslibet argumenti ſententiola, non dico pagina; una cuiuslibet paginæ uocula,non dico comprehenſio; manifeſto oſtendet nihil fieri potuiſſe MVRETO in ſcribendo perfectius: ut non ſine cauſa inuenti ſint qui,cum eſſet morti proximus, quaſi quiritantium more opem implorarint Romanorum ciuium: quod Metellus fecit Macedonicus mortuo Africano: non eam quidem ob cauſam,quod Romanae urbis moenia eſſent euerſa, ut dicebat ille: ſed quod Romanae eloquentiæ ſplendor extingueretur.Quæ omnia ut ad ſummam faciunt laudem uiri ornatisſimi, ita communem augent noſtrum omnium dolorem.Accipite enim Auditores,quod & ſi erit auditu acerbisſimum,erit tamen & dictu uerisſimum,nec fortaſse ingratisſimum ſcitu.Cum in diuinum hominis ingenium,& in diuturnam eius,ac paene incredibilem induſtriam, qua uim ſibi, & prope mortem afferre uiſus eſt: ad ſummum enim ſingulis noctibus, ſomno quinas horas, quaternas plerumque,aut etiam ternas tribuebat; cum in aureum illud,ut ita dicam flumen eloquentiae,animum mentemq; conuerto,cum & quæ olim pepererit cogito, & quæ iam diu parturiret; etiam ſi magna& multa ab illo exierunt,ea tamen omnia haud poſſe conferri exiſtimo, cum iis quæ parabat,ut non tantum MVRETI mortem, qui uiuere poterat diutius,ſed eius etiam operum,quæ ut dicebat Sappho, æterno quodam uere florere potuiſſent,lamentari ac dolere poſſimus.Nam quis tandem nobis Ariſtotelis Ethicen,Rhetoricen, Politicem, quis Platonis de Republica libros,ac de Legibus, in quæ

fere omnia inchoatos habebat commentarios, quis insignes illas, quas meditabatur notas, ad Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Plutarchum, Liuium, Plinium, Tacitum, ad iuris ciuilis auctores; ad eos denique quos euoluit libros (quos autem non euoluit?) repraesentabit? O uita iis quidem qui nihil agunt, persaepe longa, MVRETO certe, qui numquam non agebat aliquid, nimium breuis. Agebat ille quidem cum est mortuus, annum sexagesimum: qua aetate qui essent etiam decennio minores, a Theraeis non lugebantur, quasi uixissent diu. Sed ego tamen sic arbitror, semper acerbam esse eorum mortem, qui immortale aliquid cogitant, ut prosint omnibus mortalibus, etiamsi uitam duxerint quam longissimam. Etsi tu quidem MVRETE, si spectamus quod facere poteras, parum vixisti; si quod fecisti, satis: si praeclari memoriam nominis quam reliquisti, semper uicturus es. Sẽper enim uiuunt, etiam mortui, qui quamdiu uixerunt, uixerunt bene. Bene autem uiuere ii dicendi sunt, qui in omni uita prosunt aliis, potius quam sibi: & in ea sunt cogitatione defixi, ut sibi perpetuo migrandum putent ad unum illum qui omnia audit & uidet, DEVM. Quae duo quoniam hunc in locum incidit oratio, ut praetermittenda non sint, ita extiterunt in MVRETTO, ut non admirationi magis, quam imitationi esse possit. Nam quod pertinet ad benignitatem quis tandem fuit, non dico e summis uiris ac principibus, quales uos estis Cardinales illlustrissimi, quibus ille omnibus fuit, tum propter summam doctrinam & eloquentiam, tum uero propter suauitatem morum & elegantiam, longe carissimus: sed e mediis, sed ex infimis etiam hominibus: non dico ex illis, qui ei essent familiares & cogniti, sed ex ignotis atque externis, quorum non nulli, uel ex ultima Europa hominis conueniendi & consulendi causa Romã confluebant: qui tamen profitebantur omnes, atque aperte praedicabant omnia se maiora re ipsa comperisse, quam fama: quis fuit inquam ex omnibus, quin si uellet, eius auxilio uteretur & consilio? Eccui umquam suam ille domũ, bibliothecam, quam habebat instructissimam, aures, arcam denique, patere noluit? cui non aut opera benigne fecit, aut pecunia? Tribunorum olim domus in hac urbe numquam claudebantur, ut essent portus quidam ac perfugium omni ciuitati: simile quiddam mihi uidentur MVRETI aedes fuisse, quem numquam fere solum, aut uacuum inuenires: quasi a DEO esset, uti erat, ad communem omnium utilitatem datus. Rogares ut perobscurum aliquem, aut Latini scriptoris, aut Graeci declararet locum? declarabat: ut carmen corrigeret, aut orationem? corrigebat. Vt epigramma inscriberet in sepulcro? inscribebat. Vt epistolam scriberet? scribebat: Vt elogium in ponte, aut

in

in basi statuæ ponendum excogitaret? excogitabat: Ut hæc ipsa reco gnosceret? recognoscebat: ut interdũ mihi diceret (sæpe.n.mecum per quam familiariter loquebatur) sibi non licere uiuere. Et uiuebat quidem ipse, sed ut dixi, uiuebat magis aliis, quam sibi. Docebat.n.quæ poterat, idest quæ discere uelles, omnia: quid.n.uelles discere, quin posset docere? ab eo uero quem docebat, nullam omnino mercedem exigebat: ne illam quidem, quam Thales Milesius a Mandrayto Prienensi, quem docuerat quanta esset solis magnitudo, exegisse dicitur, cum ab eo cauit, ut ipsum tantummodo tam præclari inuenti laudaret auctorem: ut non mirum fuerit, si inuenirentur interdum, qui quæ a MURETO gratis acceperant, pro suis uenditarent. Atque hæc pauca de benignitate in homines. Quid de religione ac pietate in DEUM? Nolite expectare Auditores, dum commemorem, quod plerique meministis, catholicam semper ab eo seruatam, seruatam dico? immo uero etiam defensam, & pro uirili parte ornatam, religionem ac fidem: cum tamen non defuissent in Gallia homines nequissimi, qui omni machinatione, admirabile illud ingenium ad suas partes abducere conarentur. Itaque propiora uideamus. Hic uero mihi quam multa occurrunt, quam ingentia? quot conturbant in hac ipsa extrema, in qua uersamur oratione, dicentem? cum & uideam multa esse omittenda, & unumquodque quod occurrerit, præcerpendum esse uideatur? Nouem iam sunt anni, Auditores, cum sacris est initiatus. M. ANTONIUS, ac sacerdos factus: ex quo tempore tam sæpe, tam religiose, tam sancte fecit rem diuinam, ut inter sacrificandum, nec lacrimas teneret ipse, & easdem etiam audientibus excuteret. sacras uero quotidianas precationes quam diligenter ac sedulo obibat? ut se assidue ad Sanctorum, & CHRISTI exempla limabat? quam solicite in se inquirebat? quam attente uidebat, ne quid aut faceret, aut diceret, quod aut reprehensum, aut reuocatum uellet? Quid? quod sæpe mecum (credo etiam cum aliis) de morte tanquam de migratione loquebatur? quod cum laboraret molesto morbo ac difficili pedum, iam iamq. sibi esse cedendum domo, cuius iam labarent fundamenta, prædicebat? quod cum ei requietem suaderem atque otium, nec tamen persuaderẽ requietem sibi æternam abesse propius præsagiebat? Et certe, tam insignis uita, quasi fabula, quæ tam præstantes habuit ceteras partes, extremo debuit actu præstantissimo terminari: qui talis fuit, ut haud sciam an meliorem nosipsi exitum optare possimus. Mortuus est.n.ille, si tamen moritur, qui consequitur immortalitatem, ornatus omni instrumento & uiatico, quod Christiana religio tribuere homini atque impertiri solet, quem parat ad mortem; a XYSTO etiam Quinto Pontifice

tifice

tifice maximo non priuatim modo ueniam peccatorum impetrauit, sed ad eorum expiationem, eiusdem etiam illam publicam adhibuit indulgentiam, qua qui rite uteretur, ei uero non liberationem modo culpæ, sed remissionem etiam pœnæ CHRISTI Vicarius benignissime concedebat: ut scilicet Muretanæ illam mortis opportunitatem, non lamentatione & misericordia, sed gratulatione & beneuolentia prosequi debeamus. Sed effodit mihi pectus memoria illius diei, post quē diem obiit die tertio: quo cum esset sacrosanctum CHRISTI corpus Christiano more suscepturus, omnibus qui eo conuenerant præsentibus atque audientibus, longo exordio supplex ueniam a familiaribus petiit, atque ut sibi ignoscerent postulauit: quod eo fecit animi sensu ac dolore, ut ex illo numero, qui sibi a lacrimis temperaret, inuenires neminem. Post quem diem, toto eo tempore quo potuit loqui, in magnis totius corporis doloribus, illas modo uoces interruptis suspiriis, o IESV, o DEVS, moribundus iterabat; ut quoniam interpres mentis est lingua; eum constat aliud nihil eo tempore, in quo potissimum moriente corpore disceptabat animi salus, habuisse in mente, nisi illum quem habebat in ore, cum quo, & ad quem, ut confidimus, euolauit. Hem. M. ANTONI MVRETE uir clarissime: ut uere es natus ad omnem dignitatem & gloriam: contemnebas illam tu quidem inter homines, illis ēt temporibus, cum eras gloriatione dignissimus: cum in sacrosancto purpuratorum patrum senatu, in illo sanctitatis ac religionis domicilio, in illa arce regum ac nationum omnium, fulminabas, tonabas, splendidissimorum uerborum, & grauissimarum sententiarum flumina effundebas: sed nunc tandem æternam istam atque immortalem, quam sperabas, DEI munere & concessu, pro summa tua erga eum pietate, atque erga homines benignitate, es consecutus. Nos autem, nos inquam, afflicti iacemus ac maerentes desiderio tui; quod longinquitas temporis non leniet, sed duplicabit. Et conati quidem sumus, ut horum illustrissimorum principum obsequeremur studiis, tuarum aliquot suscipere laudum commemorationem: sed earum pondere oppressi nostrarum ostendimus uirium imbecillitatem. In quo tamen, illa nos cogitatio consolatur, quod illud fecimus, quod potuimus, quod uoluimus, quod debuimus: quod etiam haud scimus, an umquam postea, uiro eruditiori, atque homini eloquentiori, officium simile præstare possimus. DIXI.

F I N I S.